

amant, ingeritur. Nunquam secum, nec inter se habent, foventque pacem, imò nutriunt seditionem. Haud hinc inde vagarentur exules, ni expugnarent propugnacula pacis. Hæcine sciebat David: & vivens, seu potius moriens cum eis, infelicem se vocat, quia necesse, ut vexationem redimat, dicere pacificos, quos sciebat sceleratos. Non pax potest dici pax, in qua Domini rumpitur lex: uti principem, oportebat cohibere subditos, ne ruent præcipientes iuxta inolitam conditionem in mores pravos, & compescere supplicij declinantes in obligationes: & dum alia cognoscit, & alia facit, *heu* sibi dicit, quia summa calamitas, ut haberet futile regimen, pacem habere, & cum his qui oderunt pacem. Facile homo mutari potest in melius, equidem humanus animus: verum manifestâ seditione non possunt gaudere pax: & ex corde lamentatur, qui horum princeps constituitur; ne cogitaretur studium ambitionis urgentia necessitatis & cum amissionis mentis: quandoquidem nemo nisi amens potest vocare pacificos, quos cuncti & ipse semper cognovit ut seditiosos. Qui huic se studij acerrime satagit, non veritati, sed opinioni studet. Qui attendit legi, à seditionis dicitur severus: qui superfedet, pacificus: & ubi David cum dycolis pacem habet, infelicem se cognoscit; quippe præcipitium certum (ut ostendat & ostendet se pacificum) principem dicere pacem, contentionem subditorum.

15 Fratribus pacem bonam desiderant Iudæi fratres. Pax non bona? Dicam latè Deo bono, *Tom. 8. Tautol. 6.* Pax ne ma-

Grave quidem cum dycolis habere pacem.

Graviter, eo care pacificos, seditiosos.

v. Mach. 1.



la? Optimum sanè dissidium, dum in pacem congruit mittere gladium: paxque mala, ubi absistit vera, industria adulationis, ut splendor perleveret dignitatis: equidem optimum pacis discrimen cum fratribus qui semper oderunt pacem. *Pacem falsam non dare:* monet quòd supr. Magister Monachissimi Benedictus *cap. 4.* Extenditur monitum quoad simplicitatem pectoris, & quoad duplicitatem ambitionis: igitur huius studium, & falsitatis embolium, lenire & attrahere fratres uti pacificos, quos pax semper averfata, ut seditiosos. Signum in cognitionem profert Regius Pfalter. *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Si tyrannis interesset, iure obedientia impugneret. Perducuntur in legem, & illic cogitant impugnationem, intendentes arcum amare, ut sagittent in obscuro rectos corde: etenim in pace, orta in pacem gravis procella, & gratis orta, quoniam sine causa. Ni ad lubitum vivant, etiam legem atque principem impugnant: & David quum pacem illis loquitur, flebiliter lamentatur, quia minimè constituerunt, ut haberent principem; sed duntaxat, ut viverent citra legem.

*Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,*

*Pax belli exacti pretium est, pretiumque periculi.*

*Sidera pace vigent, consistunt terreae pacis.* Hæc est pax bona, quæ verò ex criminum dissimulatione, falsa: equidem ut Claudianus de 6. Consul. Honorij, v. 307. succinuit,

*Mars gravior sub pace latet.*

S. Benedictus. Pax falsa quæ quædetur?

Verf. 7.

Intuitus deest Dionis improborum.

Mantuanus

Claudianus

# TAUTOLOGIA QUINTA.

NON TENTABIS DOMINUM DEUM TUUM, sicut tentasti in loco tentationis.

Deuteronom. 6. vers. 16.

EXPOSITIO LITERÆ:



UIUS Tautologiae expositio facillima, quippe tantum vim habet in versione Vulgata: quandoquidem in Hebr. & apud plures Interpretes nominatur locus tentationis, quo dissolvitur pleonasmus. Saepè in Biblijs interpretatio nominis pro ipso nomine promitur, quod hic astruerem, ni fuscè probarem *Tom. 2. Tautolog. 3.* num. 19. 20. 21-8. num. 24. Similiter in presenti locus dicitur tentationis *Massa*, quod sonat *tentatio*. Cum diu, ac sæpe Dominum populum, semper fastidiosus, quia non fastiditus, tentaverit (igitur famebit audaciam, quippe inveniebat proclivem in veniam) &

Dominus iam pertæsus puniverit; monet Moyses, ne regetur culpam; & propter offensam & propter penalem noxam, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt Deum, & penas luerunt. Unde sensus testimonij est: *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in Massa* (Mansione undecimâ filiorum Israël, ut ait Adrichomius in *Pharan*, n. 82. ex *Numer. 33. 14.*) aliter *Raphidim*, & *Petra Oreb*, quippe ex rupe Oreb orta aqua versus Raphidim, ubi erant filij Israël: quem locum à iurgio, exacerbatione, ac irritatione post vocatus à Moysè *Massa*: id est, tentatio. Ab alijs *Meriba*, videlicet iurgium. Unde Samaritan. & Pers. *Non tentabis quemadmodum tentasti eum in Massab.* Utrumque complexus textus sacer Exod. 17. 7. *Moyfes vocavit nomen loci illius tentatio* (Hebr. *Massameriba*) propter iurgium filiorum Israël, & quia tentaverunt Dominum. Aliquando *Locus* vel paragogicè, vel exergasticè additur substantivis; tuncque nihil significat, nisi cui additur. Psalm. 43. 20. *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Psalm. 22. 2. *In loco pascue.* Psalm. 118. 54. *In loco peregrinationis.* Ezech. 43. 7. *Locus solij mei.* Pater idiotissimus: & minimè incongruum, si vocem acciperis pro superlativo. Q. d. in afflictione gravissima, in pascua uberrima, in peregrinatione longissima. Constat: nam ubi Isai. 2. 19. *Humilitate humiliabitur civitas:* Chald. *In loco humilitatis humiliabit se civitas:* de quo *Tautolog. seq.*

2 Quoniam sermo de tentatione Dei, priusquam de tentatione à Deo, à diabolo, & hominibus loquamur; operæ pretium præmittere. Frequenter inter nos tentari Deum dicimus, dum aliquid temerariè intenditur, quanvis intentio absistat; quia actus ex se implicite tentationis est. Etiam dum prætermittitur fieri ad pericula evadenda, quod fieri debet; cum respectu tantum in auxilium divinum: qua de causa vel perdidit Achaz, quia habebat exercitum, promittenti sacro vati signum victoriam, respondit: *Non petam. Non tentabo Dominum.* Similiter, quando ultra necessitatem fit, quod sine miraculo fieri nequit; ut olim fiebat purgatio criminis per candens ferrum, & alia, quæ videris apud Delrium lib. 4. *Disquis. Magic. cap. 4. q. 3. & seqq.* De tentationibus tam factis, quam verbis, tam clarè, quam insidiosè videtis Angel. Præceptor. 2. 2. *quest. 97. art. 1. & 2.* Tentatio Dei potest fieri circa eius potentiam, providentiam, sapientiam, clementiam, iustitiam, & alia attributa: vel dubitando, vel ad malâ auxilium implorando.

Interpretatio nominis pro ipso nominis.

Samar. & Pers. Exod. 17. 7.

Locus paragogicè additus substantivis nominis. Pro superlativo.

Quotuplex ab homine tentatio Dei.

Isai. 7. 12.

Potentæ divinæ fecerunt periculum Scribæ & Pharisei, Matth. 12.38. dicentes: *Magister, volumus à te signum videre.* Et filij Israël dicentes: *Namquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Ideo promittitur v.18. *Tentaverunt Deum.* Providentia, Exod.17.7. dicentes: *Est ne Dominus in nobis, an non?* Et 16.32. *Cur eduxistis nos, ut occideretis omnem multitudinem fame?* Sipientia, Ioann. 11.37. *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur?* Matth.22.28. *In resurrectione cuius erit de septem uxoribus?* Idem Sipient. 1.2. & Actior.4.9. *Hoc vitio laborant hypocritæ, stantes coram Deo, qui discipline effugit fidum, quasi essent coram idolo. Clementia, ut in adultera, Ioann. 8.5. Tu ergo quid dicis?* Et Iudith. 8.13. *Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.* Numer. 20.10. *Audite rebelles: Num de petra hac vobis aquam poterimus eicere?* Iustitia, Psalm. 72.11. *Quomodo sit Deus, & si est scientia (iustitia) in excelsis?* Matth. 22.17. *Quid tibi videtur? Licet censum dare Casari, an non?* Non secus tentatio fuit præsumptio Ismaelitarum de bellandis & delendi Amalecitas & Chananzos proprijs viribus. Numer. 14.à v.41. *Non crediderunt in Deo, neque speraverunt in salutare eius.* Psalm.77.27. *Quare in presenti dicitur tentatio etiam; quia dubitarunt in aquarum penuria, de providentia Dei, ut ait Caietanus hic; vel quia et si esset verè necessitas aquæ, non tentando (hoc est, animo experiendi divinum opus) sed obsecrando & orando debebant auxilium implorare & vel quia iuxta Rabbinos nulla tunc aqua necessitas (quod falsum arbitror ex Exodi 17.3.) cum habuerint iam Manna, ex quo aqua: igitur ex liquefacto Solis calore (in inquit Rabb. Salomon) non solum aqua ad potum populi, sed etiam ad pecora adaquanda: ex quo infert Genebrardus in Psalm. 94.10. *Secularios usum calicis promiscuum petere in Christiano Manna, quasi alterutra species non continet totum Christum; sed caro in una existat sine sanguine, sanguis in altera sine carne.**

3 Meo ergo iudicio tentarunt, & tentatione exacerbaverunt, imo, ut legit præfatus Auctor in Psalm.77.47. *Crucifixerunt Deum;* quia tot visis prodigijs & miraculis, alia ad libitum vite necessitate quærebant, imò exigebant: quod dicit ibid. Regius Paltes à v.19. *Petierunt mensam in deserto, id est, carnes; quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.* Ita stolidè cogitabant, quasi pro cuiuslibet voluptate, & voluntate Deus aperiturus esset thesauros omnipotentis. Unde arroganter, ut vidimus, dixerunt: *Est ne Dominus in nobis, an non?* Si non est, quæramus Dominum, sicut mox fecerunt vitulum; quod quidem peccatum infidelitatis: si est, cuncta, est industria possimus quærere, ad eum spectant; quod est tentatio contra religionem; posthabita Deitatis reverentia. Unde D. Thomas loc. cit. *Tentare Deum, ad hoc quod ipse tentans cognoscat Dei virtutem, est peccatum:* etiam Domini exacerbatio & maxima, ut videbinus. Quia non fecit taliter omni nationi; erant poscinimij, petaces, & importuni.

4 Aliquando Dei dicitur tentatio, eius voluntati resistencia. Quo intelligitur illud Petri Actor. 15.10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super carvices discipulorum, quod necque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Iam enim constabat de voluntate Dei circa Gentium conversionem iuxta gratiæ legem, non iuxta legem scriptam, tot præceptorum onere (in cuius respectum dixit Salvator: *Onus meum leve*) quod portatura Gentes, si circumciderentur, ut dixit Paulus, Galat. 5.3. Hinc Beda subdit: *Ille ergo tentat Deum (id est, Deo resistit) qui ei aliter, quam ipse præcepit, famulari, ac placere nititur: qui præcepta eius absque auxilio gratiæ servare se posse confidit:* igitur inconstans videretur Deus & mutabilis, modò sic, modò aliter præcipiendo. Acceptio pro Resistencia frequens est in Scriptura. *Tentaverunt me iam per decem vices, nec obediunt voci mee.* Numer. 14.22. Aliqui numerum finitum pro infinito intelligunt: q. d. *Pluries, ut observat Maluenda. Terminat Caietan. hic & Rupertus (ex quo N. LaZerd. in Iudith.8.25.) lib.1. in Numer. cap. 39. Huiusmodi tentationes dicuntur elevationes. Unde Maluend. legit: Non elevabitis Ibum Elobim vestrum, secundum quod elevastis in Massab.* Hebr. ad illud præf. Itai. *Non petam & non tentabo Dominum,* legit: *Non glorificabo Dominum.* Egi Tom.2. T.5.n.28. igitur ita Deus vel erga perfidos clemens, ut ex malitia formet occasionem gloriæ in misericordiam & liberalitatem. *Melius enim iudicavit (ait Auguſt. Enchirid. cap.29.) de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere.* Vide quæ diximus loc. cit. T.1.D.1.à n.12.

5 Tentatio etiam dicitur Affliccio, seu vexatio: unde Christus Dominus tentatus est; & ut dicit Apostolus, *Per omnia pro similitudine absque peccato.* Id est, tentatus secun-

Matth. 12.  
Psal. 77.19.  
In Dei va-  
rijs atribu-  
tis.  
Manna ci-  
bus & po-  
tus.  
Genebr.  
Idem  
Ingratitudo  
Deum exacer-  
bat.  
D. Thom.  
Act. 15.10.  
Tentatio Dei  
pro resisten-  
tia.  
Ven. Beda.  
Maluend.  
Cur dicitur  
glorificatio?  
Augustin.  
Hebr. 4. 15.

eundum omnia, sed non secundum peccatum. Non secundum peccatum, sed passus est tentationem peccatorum. Peccare non poterat uti Deus, sed tentationes passus est sine peccato. Sine peccato, quippe per exteriorem tantum suggestionem tentatus à diabolo, ut dicit PP. Gregor. Magn. Homil. 16. in *Evangel. Damascen. de Fide Orthodox. lib. 3. cap. 20. & Scholastici cum D. Thom. 3. part. quæst. 41.* Interiori suggestionem à nullo inimicorum animæ tentari quibat, quoniam interior tentatio aliqui delectatione fit, quæ solummodò potest esse in carne peccatrice, vulnerata originaria labe: Christus erat in similitudinem carnis peccati; non peccati ex carne nec secundum similitudinem: igitur omnino peccatum non noverat. Quare Abulenſis q. 21. in *Matth. 4. inſit: Tentatio per delectationem est, quando sine aliquo suggerente incipit aliqua res placere contra ordinem rationis, & inde oritur desiderium illius; ut aliquid delectabile secundum carnem homini incipit placere, non quidem per deliberationem, sed quia in homine est naturaliter complacencia illa, in quantum talia videtur bona secundum carnem. In Christo autem non potuit esse tentatio ad intra, quia ista incipit per quandam deordinationem virium nostrarum, in quantum vires effectiva incipiunt aliquid concupiscere, quod est contra desiderium rationis, & non subiungitur immediate ille vires imperio rationis. Ista deordinatio vocatur peccatum quoddam, quia est quedam repugnancia ad legem, cum vires superiores sint lex & mensura virium inferiorum: non est tamen peccatum: est in nobis positus esse interdum absque peccato, in Christo sine peccato non esset. In nobis saepe præcedit iudicium rationis: in Christo autem præcedere non poterat, qui omnia prævidebat; neque erant in illo motus, qui primoprimum appellantur. Tentatio siquidem proprie dicitur, cum est in nostra potestate, & adversatur rationi.*

6 Unde tentatio peccatum est, si aderit consensus; sed in Christo (quod in nobis potest esse sine peccato; quoniam concupiscentia mala, ut dicitur *Coloss. 3.5.* vel concupiscentia malorum, vel quia ex primo peccato fomes malorum, ut origo & seminarium; prævenit rationem) nequibat esse interna delectatio sine peccato, quippe posterior ipsius cognitione. Cuncta in Christi potestate, & interiori nihil habebat, quod rationi adversaretur. In nobis igitur potest esse tentatio & delectatio; sed hac merè naturalis peccatum non est (habuit enim Christus secundum carnem naturales delectationes, gustus scilicet, visus, auditus, quietis, &c. essentque etiam in statu iustitiæ originalis) delectatio igitur interna secundum carnem adversus spiritum concupiscentem, erit peccatum, vel non erit, prout prævenit ratio, vel prætermittit. Sic sanè intelligitur illud Iacobi 1.14. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua astractus & illectus.* Ecce fomes peccati, appetitus sensitivus, lex membrorum, seu carnis, origo peccati, & seminarium: deinde concupiscentia cum conceperit (id est, excitata) parit peccatum (id est, motum in concupitum) peccatum, quia in concupiscentia extra rationem, apparet privato iustitiæ originalis, quæ medicamen seu potius erat alexipharmacum illius imperfectionis. Unde si motus est primoprimum, non est peccatum: si imperfectè voluntarius (de quo latè *Tautolog. 7. à num. 24.*) peccatum veniale perfectè voluntarius, tunc mortale; quia *peccatum consummatum generat mortem:* hoc est, separationem gratiæ ab anima, quæ iurè damnationi obnoxius homo. Quapropter dum Augustin. lib. 19. de *Civitat. Dei*, cap. 4. & D. Thom. 3. part. quæst. 4. art. 1. ad 3. asserunt nonnullum peccatum esse, quando caro concupiscit adversus spiritum, intelligendi sunt de concupiscentia orbitan rationis prætergrediente; non ratione naturalis appetitus, sed delectationis prævenientis rationem; ut observant Caietan. hic, & Suario Tom. 1. in 3. part. in *Comment. loc. cit. & Tom. 1. Disp. 34. sect. 2.* Unde in Christo tentatio fuit vexatio, seu afflictio, & ab hoste, non à carne, quavis secundum carnem, ut Apostolus dicit: *In eo enim in quo passus est ipse, & tentatus.* Sic itaque dicitur Iob. 7. 1. à Septuagint. *Tentatio est vita hominis super terram.* Idem Iudith. 8. 24. Disputant Scholastici cum Angel. Magistro loc. cit. quæst. 14. & Suario Tom. 1. Disp. 32. quæ tentationes tulerit Dominus? Brevi proferam. Cunctas passionis suscepit, sed irreprehensibiles, quæ suam dignitatem, personam, aut officium non dehoneſtarent. Corpus mortale passibile induit, & quæ decorè conveniebat pati, indulſit, & quia voluit. Damascenus ubi sup. *Imoxias passionis* vocat. S. Thom. *Indebrectabiles:* id est, irreprehensibiles. Nihil in illo, vel naturale coactum: volens eſurivit, sitivit, timuit, morti se tradidit, & mortuus est. *Dabat itaque (dicitur in 6. Synod. Constantinopol. Actio. 11.) cum volebat humana natura tempus operari, & pati, quæ sua sunt; neque enim involuntariè hæc, vel necessitate suscipiebat.*

Pro afflictio-  
ne, & vexa-  
tione.  
Quid sit ten-  
tatio?  
Abulenſ.  
Cur in Chri-  
sto nulla ten-  
tatio inter-  
na.  
Quomodo  
& quando  
est concupi-  
scentia pec-  
catorum, &  
ex peccato  
mors?  
Iacob. 1.14.  
Peccat. car-  
dicitur  
mors?  
Concupiscentia  
non est  
peccatum.  
Hebr. 2. 18.  
Tentatio  
Christi ab  
hoste, non à  
carne.  
Quas tenta-  
tionis tulerit  
Damaſc.  
D. Thom.

Tentatio pro exploratio-  
ne.  
Tentatio bo-  
minis a se.

7 Tentatio aliquando fumitur pro exploratione, qua Deo repugnat, cuncta noscitur. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. In demone semper est intentio nocendi. Si Filius Dei es, Matth. 4. 3. 6. Aliquando in hominibus, ut maligne fecerunt sepe, ut vidimus, Sadducei, & Pharisei. Aliquando per modum curiositatis & gratia animi, ut in regina Saba, 3. Reg. 10. 1. & Samfone, Iudic. 14. 12. Tentatio passiva hominis potest provenire a Deo, a diabolo, & ab ipso homine. Ab homine, quia etsi diabolus non esset, appetitu venereorum non careret, ut ait Origines lib. 3. Periarab. cap. 2. ex quo D. Thom. 1. part. quæst. 114. art. 3. indirecte facit diabolus causam peccatorum hominum, quatenus tentavit & vicit primiparentes, ex quorum transgressione caro corrupta & in peccatum prona: directe vero ipsum hominem, quatenus ultra rationem subijcitur appetitui, & concupiscentia. Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illeceus, ut vidimus num. 6.

Prudent.  
Eccl. 1. 10

Dividit hic, illuc rapiens sua quemque libido. Accinit Prudentius in Hamartigen. vers. 842. Maledicite impius diabolum; quasi ab illo impulsus deliquerit, & sese precipitavit: de quo Nos late Tautolog. 7. num. 23. Non dubium, diabolus multa suggerere; sed nolite (ait Apostolus) locum dare diabolo, qui vos a vobis motos & accipites in desiderijs deordinatis inflammet in consensum. Homines locum dant diabolo (inquit Augustin. de Tempor. ferm. 172.) ex concupiscentijs suis. Trahit sua quemque voluptas. Gregor. Nazianzen. in Tetrarch. sentent. 52.

Ephes. 4.  
27.  
August.

Nazianz.

Quid culpam in hostem semper vertimus, Cum nostra præsent robur ipsi crimina, Te criminare prorsum, aut certe magis Ignis tuus, nam flamma vera demonis.

Tertull.  
Diabolus  
præses &  
artifex ten-  
tationis.

Optimè expressit Tertullianus de Oraton. cap. 8. dum de Christo a diabolo tentato dixit: Ipse a diabolo tentatus, præsidem & artificem tentationis demonstravit. Præsidem, cum ab hominum concupiscentia oritur tentatio: artificem, dum in tentationem excitat hominum concupiscentiam.

Matth. 6.  
13.  
Tentatio bo-  
minis qua-  
modo a Deo?

Ierem. 31.

Quid demò  
tentationi-  
bus conetur?

Augustin.

8 Hinc illud: Ne nos inducas (non patiaris induci) in tentationem, sed libera nos a malo: id est, a demone, ut infra videbimus, artifice, vel præside tentationum. A Deo immittitur aliquando tentatio, non ut periculum faciat, quod vel futura noscitur sed Deus tentat ut doceat, diabolus ut decipiat, ait August. ubi dudum. A Deo tentatio bona, a diabolo mala. A Deo solet esse permissiva & effectiva. Permissiva patet in cunctis tentationibus, quibus censetur homo delinquens. Effectivam, vexationem vocare possumus: vexat enim peccatores, ut ex afflictione, seu per afflictionem convertantur ad cor. Unde Ephraim Ierem. 31. 19. Postquam ostendisti mihi, percussisti femur meum. Psalm. 77. 34. Cum occideret eos, veniebant ad eum, & revertebantur. 106. 6. Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur. Vexat etiam bonos, sed imperfectos; ut fortius & firmius adorianatur perfectionis iter, & urgeat in studium eminentioris vite, ut illud Deuter. 13. 3. Tentat vos Dominus Deus vester. Apoc. 2. 4. Charitatem primam reliquisti. Vexat viros perfectos in exemplum virtutis & gloriam eorum. Iudith. 8. à vers. 22. Econtra diabolus perfectos tentat, ut sint imperfecti, remissi, hypocrita, superbi, philaui, &c. Imperfectos, ut sint peccatores: peccatores, ut peiores fiant, & nunquam surgant, aut è luto emergant. Unde Augustin. loc. cit. inquit: Si Deus cessat tentare, magister cessat docere. Ergo noverit charitas vestra tentationem Dei non id agere, ut ipse aliquid cognoscat, quod ante nesciebat; sed ut illo tentante, id est, interrogante, quod est occultum in homine, prodatur. Non sibi homo ita notus est, ut creatori: nec sibi ager ita notus est, ut medico. Egrotat homo: ipse patitur, medicus non patitur. Ob illo qui non patitur, expectat audire quod patitur. Multa occulta ipsi homini, in quo sunt; & non procedunt, neque aperiuntur, neque inveniuntur nisi in tentationibus. Nescit se homo, nisi in tentatione.

Obsecratio  
unici  
Augustin.

Discrimen  
tentationis  
a Deo &  
a demone.

9 Permissiva tentatio a Deo fit, cum subtrahit auxilia gratia suæ, sine quibus homo obsecratur, & obduratur, uti diximus Tautolog. 3. a num. 61. & dicimus sulsus Tautolog. 7. a num. 30. Quapropter Augustinus lib. 19. de Civ. cap. 9. ait: Ad tentandum eos, quos erudiri se opus est, vel decipi iustum; tradendo illos in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt. Roman. 1. 28-9. 17-11. 8. 10. ut claruit in Pharaone & Achab. Hinc excepta hæcine permissiva tentatione; tentatio a Deo, seu potius probatio, distinguitur a tentatione demonis, & materia, & modo, & fine. Materia, quia tentatio a Deo est vexatio per externam bonorum privationem (quæ homini-

bus

bis sepe vincula, & pondera) & malorum corporis immisionem. Iob. 1. & 2. Quæ verò a diabolo, est vexatio circa bonorum spiritualium privationem, & victorum in animam immisionem; ut patet in Iuda proditore, Ioann. 13. 2. & Act. 5. 3. Modò, quia in tentatione a Deo comitatur animam interius solatium, atque in resistentiam virtus. Ierem. 1. 8. Philip. 4. 13. a demone autem impulsus in impatientiam, & hinc in desperationem. Iudith. 8. 24. 25. & Iob. 2. 9. Fine denique, quoniam probatione intendit Deus bonum spirituale tentati, & afflicti. 2. Tim. 2. 5. & Iacob. 1. 12. & demon omnimodam & omnimodò ruinam animæ, circueiens quærens, quem devoret. 1. Petr. 5. 8. Unde, qui intenerator malorum est, Deus neminem tentat: tum quia nihil dubitat, aut ignorat: tum quia non potest tentare propriè, qui naturà bonus, & origo bonitatis. Diabolus propriè tentat & propter insitam malignitatem, & in peccata cupiditatem vehementem. Hinc dum dicitur, Deum neminem tentare; Tentat vos Dominus; discrimen est penes intentionem: quoniam ex illa pendet, quòd periculum sit propriè tentatio, vel non. Quare Iunilius lib. 1. Antilog. sacrar. interrogat. 37. Duae esse tentationes (ait) in Scripturis sanctis solet intelligi: una qua decipit, altera qua probat. Secundùm eam, qua probat, dictum est: Tentat vos Dominus Deus vester. Secundùm eam, verò qua decipit, Iacobus Apostolus predicat: Deus neminem tentat. Eadem Seraphin. Cumiranus Tom. 1. Conciliat. 31. Optimè noverat proventum ex tentationibus, qui exclamabat Psalm. 25. 2. Proba me Domine, & tenta me. Ideo gaudium dicitur a Iacobo vers. 2. igitur si a Deo, tentationibus glorificamur, non seducimur. Intenerator dicitur malorum, id est, immisor malorum tam in malos, quam in bonos: in hos ad coronam: in illos ad pœnam propter iustitiam, vel in delictorum pœnitentiam. Mala sunt materia tentationum, quippe vexant & affligunt: verum Deus, etsi mala immittat, nec bonum nec malum tentat. Ita possunt exponi plura Scripturæ testimonia, maximè si tentatio significat manifestationem materiæ circa quam: ut illud Genes. 22. 1. Tentavit Deus Abraham. Id est, notam fecit fidem & amorem Abrahæ, qui Filio prætulit Deum. Inventus est fidelis, & sic de alijs Iudith. 8. 23. Eccl. 44. 21. 1. Machab. 2. 52. Claret ex Deuter. 8. 2. Adduxit te Dominus quadraginta annis per desertum; ut affligeret te, atque tentaret, & nota sterneret, que in tuo animo versabantur. Unde D. Thomas in 11. ad Hebr. lect. 4. subdit: Ut homo sibi immotescat, quanta fortitudinis, vel fragilitatis sit. Ita Augustin. lib. 1. qq. in Genes. quæst. 57. in Ioann. Tract. 43. & de Civit. lib. 16. cap. 32.

Iacob. 1. 13.

Quomodo  
Deus tentat,  
& non ten-  
tat?  
Deuter. 13.  
3.  
Iuail.

Psal. 25. 2.

Tentatio pro  
manifestatione.

D. Thom.

10 Ut intelligantur hæcine & similia, sciendum est, in Scriptura vocari operis auctorem, permittentem opus; & etiam opus declarantem. Hanc regulam tradunt Aug. lib. 83 qq. q. 69. D. Thom. 1. p. q. 24. art. 3. & 3. p. q. 13. art. 2. ad 1. & Salmer. Prolegom. 10. Quinquag. 2. Canon. 14. Primum videtur 2. Reg. 12. 9. Uriam Hothæum percussisti gladio: at ille non percussit, sed permisit. Isai. 63. 17. Quarè errare nos fecisti Domine de vjs tuis; induxisti cor nostrum, ne timeremus te? 3. Reg. 22. 22. Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum. Ierem. 20. 7. Seduxisti me Domine, & seductus sum: de quo suo loc. Tom. 6. Tautolog. 2. Secundum, Act. 2. 36. Dominum eum & Christum fecit (ostendit, declaravit) Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. 1. Cor. 1. 20. Stultum fecit Deus sapientiam huius mundi. Hebr. 1. 4. Tanto melior Angelus effectus. Iob. 9. 31. Abominabuntur me vestimenta mea: id est, ostendent abominatum. Ita Levit. 13. 6. 11. circa leprosum dicitur: Mundaybit eum: contaminabit eum Sacerdos: nimirum, declarabit eum mundum, vel contaminatum. Sic alia: vide Cyrill. Alexandr. lib. 9. Theaur. cap. 3. Non fecus, uti vidimus sup. num. 8. & observat Tertull. de Orat. cap. 8. & Augustin. Epist. 101. intelligendum de Deo est: Ne nos inducas in tentationem. Scilicet, ne permittas induci (quippe Deus neminem tentat) ab eo utique qui tentat. Quo sensu occasio dicitur causa operis, ut illud Virgilij 11. Aneid. vers. 480. Causa mali tanti. Remove, q. d. occasionem malorum, ne illa in tentationem inducat diabolus. Pariformiter, dum dicitur tentatio a Deo, intelligenda est de ostensione, seu manifestatione infirmitatis vel constantia tentati, ut supra diximus, & claret Genes. 22. 12. Nunc cognovi, quòd timeas Dominum: scilicet, nunc ostendi.

Auctor dicitur  
operis,  
qui opus per-  
mittit, vel  
ostendit.

Virgil.

Secul.

11 Quia opposita conditionis demon, si Deus non tentat, ille tentat; ad quod proposito furiosa, uti in homines habens implacabile odium. Hinc per antonomasiam Tentator dicitur Matth. 4. 3. & Sedulius lib. 2. v. 280. Insidijs tentator adit: igitur ille prosum ofor hominum & misanthropus, sicut Deus alexiacus, malorum depulsor & philanthropus, servator, ac hyperaspites fortis. Habet demon nomen Diaboli (quod quidem

dem incognitum apud Gentiles, ut observant Sanctius in 1. Reg. 7. num. 1. & Redamus in 1. Mach. 1. num. 345. ) non à natura, sed à malignitate, siquidem adversarium & criminatorem sonat, 1. Petr. 5. 8. Apocal. 12. 10. Hinc ut voce non horrida honestaretur, qui abominabilis, Baal plaudebatur: quippe *Dæmon* in propria significatione felix, seu fortunatus princeps signatur: de quo late Delcius 1. *Atag.* 54. Quapropter cum diabolo à Gentibus Dæmonis impositum nomen; hoc fideles fugiunt non ob significatam, sed ob connotationem. Adèd Christianis odiosa vanorum numinum memoria, ut etiam bono sensu dictum, commune nomen non terant. Siccine frequenter nomen Dæmonis usurpatur pro diabolo, maligno, ac in malam famam, ut cum dicitur etiam de hominibus, 1. Reg. 2. 12. *Filij Belial.* & saepe alibi. Quod 3. Reg. 21. 13. vertitur: *Filij diaboli*, malignitate, ut ait Christus Ionn. 6. 70. *Ex vobis unus diabolus est:* & 8. 44. *Vos ex patre diabolo estis.*

Car homo dicitur diabolus & diabolus filius?

Eunuchus in Scrip. non pro curato.

Hofitis olim pro peregrino. Seneca.

Et Tyrannus pro magnate.

Ælchyl.

Dæmon pro sapiente & principe.

Dæmon pro Deo. Act. 17. 18.

Orph.

Homer.

Q. Calab.

Eurip.

Sophocl. Plutarch.

Virgil.

12 Hoccine nomen & rectro sæculis malè sonuit, quod accidit vocibus *Eunuchus*, *Tyrannus*, *Hofitis*, & *Latro*. De ultima voce agam suo loc. *Tom. 8. Tautolog.* 8. ad illud Ionn. 10. 1. *Fur est & latro*. Eunuchus non semper effeminatum significabat, sed palatij Principem, qui pueris auleis præerat. Sic *Tigurin.* legit: *Magistro palatij*, ad illud Daniel. 1. 3. *Præpositum Eunuchorum*. Et Ierem. 52. 25. *Tulit Eunuchum unum, qui erat præpositus super viros bellatores*. Genes. 39. 1. *Putiphar Eunuchus Pharadmi, princeps exercitus*. Quid si filiam eius Afeneth sponfam Iosephi facias, ut faciunt Rabbinii apud Hieronym. & Rupertum hic? Idem & *Hofitis*, quæ vox pridem tantum signabat peregrinum & hospitem; sed modò odiosum nomen hostile; quoniam per peregrinos advenientes multa mala & incommoda fiebant. Plura testimonia sunt tam in sacris, quam in profanis. De nomine *Tyrannus*, modò intolerabili, pro abutente potestate, insolentia dominationis, longè à rationis & legum præscriptis: qua de causa Seneca 1. de Clement. cap. 12. *Tyrannus à rege distat factis, non nomine: olim summa acceptio*. Daniel. 1. 3. *De semine regio & Tyrannorum*: id est, principum 1. Machab. 1. 5. *Obiit iniquitatem regionem & Tyrannos*. Idem *Efth.* 6. 9. *Ezech.* 23. 23. *Habac.* 1. 10. & *Act.* 19. 9. *Ovidius de Plutone lib. 5. Metam. fab. 6. Tenebrosa sede Tyrannus*. Virgil. 7. *Æneid.* vers. 266. *Dextram tetigisse Tyranni*. Propert. lib. 2. *Eleg.* 8. vers. 9. *Et magni duces, magni cecidere Tyranni*. Sophocl. in *Aiac.* vers. 744. in *Electr.* 672. in *Trochin.* 315. *Ælchyl.* in *Prometh.* vers. 223. *Iupiter Deorum Tyrannus*. Alijs super sedeo, quia plena folia. Pariter vox *Dæmon*, olim non malè audivit. Sophocl. in *Electr.* vers. 926. *Non semper idem dæmonum assisit*. & vers. 1338. *Administrarem presenti dæmoni: id est, principi*. In *Oedip.* Tyrann. vers. 1215. *Quis secutus maiorem dæmonem?* Eurip. in *Orest.* vers. 1671. *Neque aliquem audiens dæmonem*. Homer. 20. *Aiac.* vers. 437. *Dæmoni similis*. 11. *Odyss.* vers. 61. *Dæmonis factum*. In Scriptura autem semper exprimit nomen spiritus nequam, de quo in seqq.

13 Ita igitur ubi nomine dæmonis signatur Deus in Sacra pagina, *Act.* 17. 18. solummodò est iuxta Gentilium mentes. *Novorum dæmoniorum annunciator*: id est, novos Deos annunciat: ut dicitur PP. quos videris apud Lorinum & Sanctium hic. Orpheus & alij Poëta Græci passim, Latinorum nullus nominat. Ita ille in *Hymn.* *Dæmonem voco magnanimum, horrendum, mitem Iovem. Imperium est unum, & unus dæmon.*

Homerus 1. *Iliad.* vers. 220. & 12. *Odyss.* vers. 169. quem imitatus Quint. Calaber; seu Smyrnaeus lib. 4. *Minerva autem celum ascendit In domos Iovis, ægida tenentis, ad dæmonas alios; Statim ventus quævit, atque tranquillitas Erat: soporavit autem fluctus dæmon. Iaiæ Telamonius minime cognitum bebens; Dæmonem sibi exitium struere.*

Euripides in *Ion.* vers. 720. *Deus magnus summus dæmon.* & in *Iphigen. in Tauris.* vers. 267. *Dæmones quidem hic sedent*. Sophocl. in *Oedip. in Colon.* vers. 1406. *Eundem dæmonem accipientes*. Plutarch. in *Cleomen.* subdit: *Ceteris fortunam, quam Dæmon dedit, sequemur*. Pro quo Virgil. 12. *Æneid.* vers. 677. accinit: *Quò Deus, & quò dura vocat fortuna sequamur.*

Videfis Augustin. 8. de Civ. cap. 14. Serar. in 3. *Tobia.* quest. 2. & Cæli Rhodigin. lib. 2. cap. 2. Idem dicendum de Sanctis Angelis; non quia nomen non conveniat præut

præut sonat sapientiam & principatum, ut diximus *Tom. 1. Tautolog.* 5. num. 19. sed quia in Scriptura datur Diabolo & Angelis eius. Unde apud Ethnicos dicuntur Eugenij, Agathogenij, vel Genij absolute. Euripid. in *Iphigen. in Taur.* vers. 570. *Genij, qui vocantur sapientes*. Sophocl. in *Philoct.* vers. 1127. *Melioris dæmonis*. Et Hesiod. de *Opera.* à vers. 121.

Angeli Eugenij dicitur à Genibus. Eurip. Sophocl.

*Ij divi facti sunt Iovis magni consilio, Boni in terra versantes, custodes mortalium hominum, Qui sancti observant & iusta, & prava opera, Aërem induti, passim euntes per terram.*

Hesiod. Officia illorum.

Verùm super sedeo, quia infra fulsissimam ordiemur disputationem.

14 Diabolo igitur & omni regno tenebrarum, spiritualibus nequitia, aptatur hoc nomen: & ne propter sapientiam, felicitatem, sublimiorem naturam, ac eminentem principatum intelligatur huiusmodi nomen, sed duntaxat propter malignitatem, non nudè promitur, sed aliqua connotatione malitiæ. *Palm.* 77. 49. *Per Angelos malos*. 1. Machab. 1. 38. *In diabolum malum*. 1. Reg. 18. 10. *Spiritus malus*. 3. Reg. 22. 22. *Spiritus mendax*. Proverb. 17. 11. *Angelus crudelis*. Apocalyp. 9. 11. *Angelum abyssis*. 20. 2. *Dracorem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas*, Græc. ad illud *Tobia* 3. 8. *Dæmonium, nomine Asmodæus*; legit: *Dæmonium malum*. Idem ad illud *Act.* 19. 15. *Spiritus nequam*; ut clareat nequitia per amplificationem, notioque sit ipsa nequitia. Etiam apud Profanos. Euripides in *Troad.* 941. *Malus dæmon*. In *Hyppolit.* vers. 241. *Dæmonis noxa*. In *Medæa*, v. 1109. 1260. 1333. *Pessimus, nequam dæmon*. Sophocl. in *Aiac.* v. 242. 500. 1205. *Tristis, improbus, malus dæmon*. Sic alia: & ut cognoscatur, quàm cognitum per malitiam, ex ipsis Ethnicis dicent testimonia, quæ plus solito congero, ut expeditiores simus in stipulatam disputationem. Homer. 9. *Iliad.* v. 596. *Quis tibi malus ingruit dæmon?* 10. *Odyss.* v. 64. *Certe mala machinatur dæmon*. 12. v. 295. *Neque te dæmon huc vertat*. 18. v. 145. *Dæmon domum subducit, ne obvies illi*. Quint. Smyrn. lib. 1. *Dæmon animum dilacerat*. Et lib. 6. *Dæmon omnem ademit prudentiam*. Euripid. in *Hercul. fur.* v. 97. in *Hecub.* v. 722. 949. *Dæmon insensus*. *Dæmonis affigentis*. In *Orest.* v. 394. *Dæmon mali dives, malus adversus me*. In *Medæa*, v. 1059. *Per dæmones infernos, qui sunt apud Plutonem*. Sophocl. in *Philoct.* v. 446. *Dæmones inverteutes ex inferno*. Plutarch. in *Craff.* vit. *Quis malus dæmon sceleratissime nobis proposuit*. Et in *Galb.* insit: *Non hominem, sed impurum genium*. In *Cæsar.* & *Marc.* *Brius*. etiam: *Tuus sum malus genius*. Late prosequitur argumentum Cæli Rhodig. lib. 2. cap. 7. Unde per dæmonem intelligunt vel Ethnici, sicut & nos diabolus, tentatorem & hostem, inimicumque communem. Ita enim (ait August. 8. de Civit. cap. 14.) *per sanam doctrinam quæ humanis rebus illucit, omnes vel penè omnes dæmonum nomen exhorrent*.

Nomen dæmonis pro diabolo.

Etiam apud Ethnicos cū adiectione ex primæ malitiam.

15 Modò cominus accedamus in Tautologias. Diabolus, id est, Lucifer, cum Angelis suis dicitur *Tentator*; quia primos parentes in paradiso seduxit & traducendo fascinauit, quorum in peccatum fomes per traducem transijt ad nos, quoniam per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt. Concupiscentia in prava vitio Dæmon, unde, ut diximus n. 11. antonomasticè dicitur tentator, insidiator, criminitor, *Matt.* 4. 3. Quo intelliges illud David *Palm.* 118. 119. de quo egimus etiam *Tautol.* 3. num. 61. & agemus 7. num. 34. *Prævaricantes* (scilicet) *reputavi omnes peccatores terrene*: igitur prævaricantes in celo sunt prævaricatores. *Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat*. 1. Ionn. 3. 8. Hic adversarius noster: 1. Petr. 5. 8. propter laqueos. 1. Tim. 3. 7-2. 2. 26. propter insidias. *Ephes.* 6. 11. propter sagittas & ignita tela. *Palm.* 10. 2-90. 6. *Ephes.* 6. 16. propter invidiam, *Sapient.* 2. 24. propter suggestiones. Ionn. 13. 2. Quapropter omnis tentatio originarie à diabolo, ut astruit Gerlon de *Cognition.* peccator. tract. 2. considerat. 25. & Prudentius, ubi supra, vers. 223.

Cur dæmon dicitur Tentator?

Palm. 118. 119.

Mille nocti di arce.

Prudent;

*Inventor vitij non est Deus; Angelus illud Degener infami conceptum mente creavit.* Diciturque etiam super *Dæmon*, malus; ut geminatione exprimat conditionis acerbitas, & intentionis pravitatis: quasi non sufficeret *Calumniator*, & additur pessimus: ita Profani vel adiectivum, nequitia indicem, apponebant, vel nomen geminabant. Sophocl. in *Philoct.* v. 1215. *Hæu, hæu: dæmon, dæmon*. Et in *Aiac.* v. 500. *Me dæmon, dæmon impellet*. Quint. Calab. lib. 5. *Hæu Ulysses mente lævâ, quibus præstigijs tibi animum per-*

perstrinxit demon demon. Et lib. 14. Dolores sevis doloribus cumulavit Demon Græcis Tertull. ubi supr. Absit ut Dominus (inquit) tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cuiusque, aut deicere sit consentiens: diaboli est, & infirmitas & malitia. Hoc est enim, sed eoebe nos à malo. Ideo Paulus infit: Ne forte tentaverit vos is qui tentat. Id est, factan, diabolus & hostis communis: ut expresse ad Ephesios 4. 27. Nolite dare locum diabolo: equidem cuncta circuit, instat, latrat, & urget, etsi non cogit: quia intus amittit dominium, exterius commovet bellum: inquit Isidorus 3. de Summo bono cap. 5. Semper in nos paratus erumpere, & ubi locum, imò rimulam invenerit, illic ingreditur. Qua igitur formà volentes amulari in malignitibus, dicuntur filij diaboli, ut vidimus, quippe pro illo sufficiuntur, uti familiaritate intimi; quo intuitu David inquit: Non communi- cabo cum electis eorum: quandoquidem in exercitium bonorum operantur, quod demones non excogitant, tentantes, accusantes, contradicentes & affligentes animam iustam, ut dicit de Sodomitis erga Lot Petrus, Epist. 2. cap. 2. 8.

16 Aliud mihi pro expositione occurrit, & usitatum in Scriptura. Quod hodie habemus, nominare erubescimus, & quasi memoriam accusamus. Unde si necessaria prolatio, paraphrasi utimur. 1. Reg. 20. 15. Inimicorum David. Non nominavit regem infestum, sed paraphrasi designavit per euphemismum, ut dicunt Rhetores. Idem Psal. 44. 6. & Psalm. 15. 14. Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Nec memoria placebat. Ita Homerus 19. Odyss. v. 260. Troiam non nominabilem. Ovid. Epist. 13. v. 164. Sive quod, heu, timeo, sive superstes eris. Virgil. 8. Aeneid. v. 575.

Virgil. *Sin aliquem infandum casum fortuna minarit, Nunc nunc liceat crudelem abrumperè vitam.* Vide plura & selecta apud La-Zerda hic à num. 23. Sic igitur ne nominemus inimicum proprio nomine, quoniam innominabilis, id est, indignus memoria, & dignus odio, circumloquutione utimur: ut locis cit. dicitur Tentator, non diabolus, qui tentator est. Ne tentaverit vos is, qui tentat. Et Iudith. 8. 25. Exterminati sunt ab exterminatore. Paraphrase Paulus 1. Cor. 10. 10. Hinc varia nomina. Nequitia spiritalis sunt (subdit Bernardus ferm. 13. super Psalm. Qui habitat, num. 2.) & quidem non incongruis appellationibus designata. Quis verò scire potest an divisa sint inter eos operationes malitie, misericordia iniquitatis, ut ex diversis officijs, quin potius maleficijs, vocabula quoque diversis sortiti nominentur? Alius siquidem aspis, alius verò basiliscus, alius autem leo, & alius quidem draco; quod videlicet suo quidem invisibili modo variè quoque noceant, quasi alius morfu, alius quoque visu, alius autem rugitu, vel icu, alius quidem statu. Ita dicitur Tob. 3. 8. Asmodeus, id est, dissipator, & vattator: Onocentaurus, Lamia, ulula, struthio, ericius, pilosus apud Hæiam & Ieremiam: quare ubi ille 26. 14. Gigantes non resurgant.

Ar. Mont. Ar. Montan. Manes (legit) non surgant. Alij, Demones. 17 Propter infitum malignitatis conatum, dicitur etiam Alastor, scilicet, malus Genius, de quo etiam apud Ethnicos. In Orest. v. 337. Euripid. Aliquis malus genius impellit. Græc. Alastoron. Idem in Phœniss. v. 1587. Alastoras: propter malum genium, qui te agitat. Confortes intendit, ambitque criminum & penarum homines universos, cuius animus claruit in Iobum. Permissu Dei, quæ non fecit: nec sibi cuncta fatis. Ecce absorbebit suavitatem, & non mirabitur: & (sed) habet fiduciam, quod insuadet Iordanis in os eius, &c. Confule hic Gregor. Magn. lib. 33. Moral. cap. 6. Postum retorqueret, & apte, quod dicit Seneca lib. 1. de Clement. cap. 12. de Luc. Silla. Occidendi finem fecit inopia hostium. Quis tamen unquam tyrannus tam avidè humanum sanguinem bibit, quam ille, qui septem millia civium Romanorum trucidari iussit? & cum in vicino ad adem Bellona sedens exaudisset conclamationem tot millium sub gladio gementium, ex- territo Senatu: Hoc agamus, inquit, P. C. seditionis pauculi meo iussu occiduntur. Hoc non est mentitus: pauci Sille videbantur. Ob cuiusmodi sævitiam mulier Chananæ ait: Filia mea malè à demonio vexatur. Eisdem circumstantijs Euripides in Hecub. à v. 198, succinit.

O gravia patiens, & omnino infelix, à misera mater! Qualem qualem rursus tibi noxam iustissimam, Infandamque excitavit quispiam demon. Non amplius tibi filia hæc, non amplius sanè Senectuti misera misera simul serviam. Catulam enim me, aut montipastam vitulam miseræ Miseram videbis abreptam Plutoni.

Euripid. *O gravia patiens, & omnino infelix, à misera mater! Qualem qualem rursus tibi noxam iustissimam, Infandamque excitavit quispiam demon. Non amplius tibi filia hæc, non amplius sanè Senectuti misera misera simul serviam. Catulam enim me, aut montipastam vitulam miseræ Miseram videbis abreptam Plutoni.*

Variè

18 Variè à varijs testimonium Matthæi exponitur. Malè à demonio vexatur. Per Malè magnitudo mali, per ly à demonio qualitas mali ostenditur: ut observat Gisland. hic dub. 11. igitur non solum tormentorum acrim gravitas, sed etiam per ministrum notatur acerbitas. Quare ly Malè sumendum pro superlativo, ut intentio aut qualitas innotescat cruciaminis. Q. d. Valde, multum, vehementer, summè flagitiosum, improbum, incommodum, nequam, acerbum. Matth. 17. 15. Lunaticus est, & malè patitur. Syr. & Arab. Malè valde vexatur. Vatabl. Miserrimè affligitur. Perf. Gravissimè laborat. Ita illud cap. 21. 41. Malos malè perdet: id est, ingenti plagà, ut dicitur Iudic. 15. 8. & Psalm. 70. 20. Tribulationes multas & malas: hoc est, vehementes secundum diuturnitatem, & qualitatem. Nec fugit profanos huiusmodi acceptio, quam Helenismum arbitror. Homer. 1. Iliad. v. 10. Morbum malum. 10. Odyss. v. 236. Venena nocentia. Euripid. in Hecub. v. 167. Mala nocumenta. Transijt in Latium usus. Plautus in Mostell. Act. 3. scen. 1. v. 81. Calidum urit malè. In Menachm. Act. 4. scen. 2. v. 39. & in Pœnul. Act. 2. v. 19. Malum damnium: id est, pessimum, per epitaphum. Ita Virgilius 1. Georg. v. 129. Virus malum. Unde, quando malum est, sed non grave, dicitur simpliciter, vel negativè. Sophocles in Oedip. in Colon. v. 703. Hæc malè mala. Et Plaut. in Rudent. Act. 2. scen. 3. v. 7. Non pati malè. Ad cuncta igitur extenditur adverbium Malè, uti annotavi Tautolog. 3. num. 38. verum in præsentî Chananæ testimonio pro superlativo aptius accipitur. Unde dum dicitur Malè, & affligitur (ideò vexatur) simulque à demonio, sumendum pro summo cruciamine, maxime ex parte nialum ex odio, crudelitate inferentis. Hinc de puero Centurionis dicitur Matth. 8. 6. Iacet paralyticus, & malè torquetur; quippe quod patiebatur, citò gravissimum, naturale quidem: filia Chananæ patiebatur præternaturaliter, scilicet à demone, qui avidus vindictæ vel summa perit, & summum quasi infimum displicet. Obiter etiam profani. Euripides in Medæa, v. 1386. Malus malè morieris. Idem in Troad. v. 1055. Sophocles in Philoclet. vers. 1062. Malè pereatis, pereatis. Plaut. usquequoque. In Millit. Act. 3. scen. 3. vers. 14. & 19. Malè ac malitiosè; malitiosè malè. Ita ut non solum passio illata sit in exterminium & mortem; sed ex modo crudelior: quo gaudebat vehementer bella Caligula. Non temerè (inquit Suetonius in eius Vit. cap. 30.) in quemquam, nisi crebris & minutis insidijs animadverti passus est: perpetuo, notoque iam præcepto: ita ferè, ut se mori sentiat.

Dirum sevitia pereuntis parcere morti  
Aulæ cecidere manus, excelsaque lingua  
Palpitat, & muto vacuum ferit æra motu.  
Hic aures, alius spiramina naribus adunca  
Amputat: ille cavus evoluit sedibus orbes,  
Ultimaque effodit spectantis lumina membris.  
Vix erit ulla fides, tam sevi criminis unum  
Tot pœnas cepisse caput.

Ait Lucan. 2. Pharsal. à vers. 180. Meminit crudelitaris August. 3. de Civit. cap. 28. & refert etiam Seneca lib. 3. de Ira, cap. 18. ubi: M. Mario L. Silla perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit; & quasi toties occideret, quoties vulnerabat. Dignus erat Marius, qui illa pateretur: Silla, qui iuberet: Catilina qui faceret. Hinc Plaut. in Trinum. Act. 2. scen. 1. vers. 33. Quos miseros malè. In Epidic. Act. 3. scen. 4. vers. 75. Malo cruciatus, ut pereas, & Stoicus Epist. 82. Malo tibi esse malè, quàm molliter. Malè nunc sic accipe, quemadmodum à populo solet dici durè, asperè, laboriosè, & Ovidius Epist. 21. vers. 66.

Quasque malè amittit, nunc malè querit.  
19 Paliologia in Biblijs solet exprimi gravitas, ut prælibavi in Prolog. Galeat. §. 4. num. 2. estque idem sententiæ sensus, sumptà geminatione pro adverbio, & adverbio pro superlativo. Dixi Tautolog. 3. cit. Malus & nequam, Malus & invidus, Malus & nocens. Bernard. ubi supr. in Psalm. Qui habitat, num. 4. subdit: Nolle cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem? Floride utitur passim Plautus schemate, diverso nonnunquam sensu ex combinatione eiusdem vocis. In Casin. Act. 3. scen. 5. vers. 28. Malarum malam disciplinam. & Act. 4. scen. 4. vers. 7. Mala mala malè monstrant. In Menachm. Act. 2. scen. 3. vers. 79. Malam formà mala. Plura diximus Tom. 3. Tautolog. 11. à num. 11. ad illud: Qui custodierint iusta iuste iustificabuntur. Non secus in sententiâ Chananæ ly Malè, & à demonio, supra vexationem, ac-

Gisland; Malè pro pessimè.

Adverbium pro superlativo.

Sueton; Malus mortis idior morte.

Lucan;

M. Marij mors crudelissima. Senec.

Bernard. Geminatio pro adverbio, & adverbium pro superlativo.

cupienda, quasi doloris excessus gravissimus: igitur acerbus odio inferentis, & qualitate infirmitatis. Perf. *Gravia valde à diabolis patitur.* Arab. *Cocodamon nascipavit eam.* Sufficebat à *demonio*, quo vel apud Gentiles exprimitur cruciaminis summitas (uti in Eurip. *Hecub.* 1. vers. 685. *Bx demone affligente.* Et *Pœniss.* vers. 1072. *Demonum noxâ.* In Aristoph. *Plut.* Act. 1. scen. 2. vers. 8. *Malum à malo.* In Sophoc. *Oedip. Tyrann.* vers. 1242. *Quis te excitavit demonum?* Quint. Smyrn. lib. 5. *Malus aliquis demon nobis infessus.* & lib. 6. *Continuos animo dolores incidit demon, ut videam mala multa*) & additur meditatio *Malè*, ut pateat doloris ex pœna atque modo acerbitas. Non hic *Malè* accipiendum, quasi sine causa, at merito, ut Iudic. 11. 27. *Contra me malè agis:* id est, iniuste. 2. Machab. 4. 1. *Malè loquebatur de Onnia.* Iacob. 4. 3. *Malè petatis.* Et apud Cicer. de *Clarit. Orator.* invenitur: *Malè multatos.* Euripid. in *Supplic.* vers. 743. *Iustè mala multa.* Plaur. in *Menach.* Act. 4. scen. 2. vers. 39. *Viro malo malè nuptam.* Et Ovidius 5. *Trist.* Eleg. 6. vers. 63. accinit:

*Non mihi, qui pœnam fateor meruisse, sed illi  
Parcite, quæ nullo digna dolore dolet.*

Malè pro iniuste, vel sine causa.

Ovid.

Non ita, inquam, quasi sine causa accipiendum *Malè*, quasi sine iurè, uti *Iustè* exponitur pro merito, & causa iuxta rationem & legem; sed *Malè* pro violentè, gravissimè & acerbè, quo claret unde pro filia exclamatio matris, & sollicitudo afflicte genitricis.

20 Etiam possumus interpretari adverbium *Malè* pro adiectivo, de quo egimus *Tomis priorib.* ut Psalm. 49. 21. *Existimasti iniquè* (hoc est, iniquus) *quod èro tui similis.* Matth. 8. 16. *Omnes malè* (mala) *habentes curavit.* Ita *Serò* pro *Serum* apud Delrium in *Troâd.* *Senec.* vers. 468. Et in *Thyest.* vers. 484. Similiter hic, *Malè à demonio vexatur:* nempe, vexatur à malo demonio. Æthiop. *Malus demon præoccupavit.* Syr. *In filia mea demonium crucians eam.* Hoc adiectivo, uti differimus fuscè supr. genius malus signabatur: siquidem Ethnici olim bonos & malos demones dicebant, sicut nos iuxta Scripturam dicimus bonos ac malos Angelos. Unde sensus testimonij est: solatium efficit matri, quod noxia naturalia pateretur: & si praternaturalia, quod à bono demone, qui non ut vexet, vexat; sed ut corrigat: modò ò Fili David miserere mei, quippe filia mea vexatur, & à malo demonio. Priusquam ad alias Tautologias fit processus, notandum, quod de tentationibus Richardus à S. Victore in Psalm. *Qui habitat*, divisit tentationibus in importunam, dubiam, subitam, occultam, violentam, fraudulentam, & perplexam; & *Prima* (infit) *tentatio*, quando dominari incipit, facit hominem egrotum, & perplexam; & *secunda claudum*, *tertia lunaticum*, *quarta cecum*, *quinta paralyticum*, *sexta demoniacum*, *septima mortuum.* Hæc cuncta à demone: ideo Christum cum cognovissent viri terre Genefar, ut salvi essent ab ægritudinibus, obtulerunt ei omnes malè habentes.

Adverbium pro adiectivo. Delr.

Demonium vexat, ut ve xet.

Quotuplex tentatio, & illius effectus.

Richard.

Matth. 14. 35.

Isai. 6. 17. Geminatio pro superlativo.

Lyr.

Maluend.

21 Clamor igitur index doloris est: hinc dicitur, *Dolens clamat in doloribus suis.* Hebraismus hic facile exponetur iuxta dicta: igitur cum idioma superlativis careat, supplentur geminationibus. Quapropter sensus est sententiæ: *Clamat præ acerbissimo dolore.* Ita Sanctius hic, q. d. præ cruciaminibus urgentibus puncta dolens clamat. Hinc Syrus in loc. cit. Matth. 8. 6. *Iacet paralyticus, & malè torquetur;* legit: *Paralyticus est, & æger.* Nequit laborari paralyti, sine ægritudine: verum geminatione pro epitaphium tam gravitas ægritudinis, quam dolor exprimitur cruciameni patientis. Favent cogitationi Interpretes. Oleaster: *Cruciatibus in doloribus.* Maluend. *Dolebit in funibus, id est, torminibus, vertebrae tortis, compagibus dissolutis, gravissimis doloribus.* Terentius Afer eodem sensu in simili articulo in *Adelph.* Act. 3. scen. 4. vers. 40. succinit:

*Differor doloribus. Miseram mel  
Iuno Lucina fer opem: serva me, obsecro.  
Hem. Illa quæso parturit?*

Tercat.

Donat.

Ubi Donatus subdit: *Differor doloribus: divellor, disrutor, dilaceror: & propriè hoc genus querelæ convenit parturienti, & cui viscera distenduntur.* Ea de causa pro indice cruciaminis summi in Sac. pagin. dicuntur dolores parturientis. Vide dicta *Tom.* 2. *Tautolog.* 2. à num. 11.

Effectus pro causa.

22 Phrasem Scripturæ sequuntur hellenismus AA. Græci. Homer. 5. *Iliad.* v. 406. *Corde dolens, doloribus confixus:* Metonymicè effectus pro causa. Idem *Iliad.* 12. v. 207. & 9. *Odys.* v. 385. Euripid. in *Heraclid.* v. 620. *Doloribus dole.* Per adverbium protulit Ho-

Homer. 11. *Iliad.* vers. 340. *Dolebat autem valde.* Exergasice Plautus in *Stich.* Act. 5. scen. 5. v. 8. *Totus doleo, totus: tantò miserior: & in Capito.* Act. 5. scen. 1. v. 7. *Corde dolens & animo.* Idem Hesiod. de *Oper.* v. 397. *Anima dolens.* Per paillogiam, seu epizeuxim Euripid. in *Andromach.* 980. *Dolebam quidem, dolebam.* Totum utique in attentionem acrimoniæ dolorum, ac vivacitatis cruciantinum. Unde clarescit expositio textus Evangelicè Vatis. Q. d. in angustia querimus Dominum, quam quidem mittit, ut queramus, clamantes præ doloribus acerbis; quoniam dum manum gravat, tunc dolores, ut parturientis. Sufficit vita mortalis in pœnam; quippe tentatio continua, in qua omnis creatura ingemiscit & parturit usque adhuc: quid si animus tendit in cœlestia? *Accedens filii ad servitium Dei, sta in iustitia & timore; & prepara animam tuam ad tentationem* (uti dicitur Eccli. 2. 1.) *deprime cor tuum & sustine.* Igitur quos Deus diligit, corrigita melioraque sunt amantium vulnera, quam odientium oclula.

Tentatio in via virtutis. Eccli. 2. 1.

23 Hinc Paulus Hebræos afflictos alloquens, proteret: *Omnis autem disciplina in presenti quidem videtur non esse gaudij, sed meroris.* Necessaria est tentatio ex qua tribulationes, & hæ maxime timentibus Dominum necessaria, ut ex vita maleficia & ærumnosa æternam consequantur: etiam ne extendant iusti ad iniquitates manus suas: ut purgentur à vitijis: ut crescant in virtutibus: ut eripiantur à futuris gravissimis pœnis: ut conformentur Christo passo in carne: & denique ut sit corona iustitij, expulso pugnis & continuis certaminibus, amore in Deum, ut dicitur *Deuter.* 8. 5-2. *Mach.* 6. à vers. 12. *Prov.* 13. 24. Videtur optima apud Chrysolom. Theodoret. Bedam & Gaudent. loc. ad Hebr. cit. Rupert. in 1. *Malach.* Hieronym. in *Osse* 6. ac Lactantium lib. 5. *Divin. institut.* cap. 23. quorum auctoritatibus consultò superfedecorut sit falus ex Ethnicis inimicis in medicamen afflictorum. Audite; & arrectis auribus, mira à Seneca de *Provident.* cap. 4. *Descendisti* (ait) *ad Olympia, sed nemo præter te. Coronam habes, victoriam non habes. Miserum te iudico, quoniam nunquam fuisse miser. Transisti sine adversario vitam. Nemo sciet, quid potueris: nec tu quidem ipse. Opus est enim ad notitiam experimento. Quid quisque possit; nisi tentando non didicit. Itaque quidam ultro se cessantibus malis obtulerunt; & virtutis iura in obscurum, occasionem, per quam enitesceret, que serunt. Gaudent magni viri rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis. Avida est periculi virtus: & quod tendat, non quid passura sit, cogitat; quoniam & quod passura est, gloria pars est. Ipsi Deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit; quoties illis materiam præbet aliquid animosè, fortiterque faciendi; ad quam rem opus est aliquid verum difficultate. Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Unde possum scire, quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitijs distitui. Unde possum scire, quantum adversus ignominiam & infamiam, odiumque populare, constantia habeas: si inter plausus senescis: Unde scio quam æquo animo laturus sis orbitatem, si quoscunque sustulisti, vides. Nolite, obsecro vos, expavescere ista, que*

Hebr. 12. 11

Cur immituntur tentationes persecutoribus in homines, uti iustis.

Seneca.

Persecutionibus clarè animi fortitudo.

*Dij immortales velut stimulos admovent animis. Calamitas virtutis occasio est. Cum omnia, que excefferunt modum, noceant; periculosissima felicitatis intemperantia: movet cerebrum, in vanas mentem imagines evocat, multum inter falsum & verum medicæ caliginis fundit. Quidni satius sit perpetuam infelicitatem, que advocat ad virtutem, sustinere? Hanc itaque rationem Disssequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptoribus; qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Nunquid tu invidiosus esse Lacedæmonijs liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus? Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, induratque, recognoscit, exercet: eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parere, molles venturis malis servat. Quare in castris periculosa fortissimè imperantur? Nemo eorum qui exeunt, dicit: *Malè de me Imperator meruit; sed, Bene iudicavit.* Idem dicant quicunque iubentur pati: *Digni visis sumus Deo.* Videas reliqua, que verè aurea.*

24 Quod in his tribulationibus lateat gloria, apprimè, quod observavit Theophilactus hic, protulit Paulus in *ly Videtur*, quippe est aliter quam videtur. Pulchre *Videtur* ait: non ita disciplina verè est meroris; igitur ut subdit Doctor Gentium: *Postea fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitia.* Videtur, quia caro sumus, licet spiritus promptus: dolor utique quodlibet flagellum aut plaga; que non videtur posse gignere gaudium, sed merorem. Unde Arab. *Non percipitur esse gaudium, sed storum lætas tristitia.* Syr. *Non lætitia, sed ægritudinis:* at si rectè inspicitur (quippe gloria eius ab intus) semen est, quod specie primo aspectu fallit; in verum continet fructum, non simile

In pœna iustorum lætas gloria.

Rom. Clementia Dei, vel corripientis.

Menand.

Via diuise virtutis & vitij.

Sil. Ital.

Dolor in voluptate.

Plaut.

Venus acerba. Eurip.

Ovid.

Virtus tribulatione incedit.

Senec. Felices in mundo infelices in inferno.

Indith. s. à v. 23. Cur felices peccatores?

Ovid.

Chrylost.

femini: quandoquidem quod modo tristitia, futura profecto gaudia. Gloriamur in tribulationibus: dicit idem Rom. 5. 3. & Iacobus 1. à vers. 2. Omne gaudium existimantes, cum in tentationes varias incidieritis: equidem ut dicit Seneca ubi supr. cap. 3. Quanto plus tormenti, tanto plus erit glorie. Gaudium sane est, sed specie meroris. Ita ergo Deus tribulatione erudit; quia non affligit, ut affligat; sed ut corrigat, & correctos ad atheraumat. Canit Menander:

Qui durissimus videtur in admonendo, Verbis quidem asper est, reipsa verò pater.

25 Delicæ contrariæ sunt correctioni: habent quærentibus voluptatem, dolorem, verum minime in virtutem. Pocula dantur à vitij & virtutibus felle & melle. À virtute futura voluptas & præfens tadium: à vitio amaritudo voluptatis illecebra. Hæc ducit in præceptis, ubi deceptos comitatur in felicia cogitata: virtus per ardua & salebrofa tollit attritos ad sidera. Vide Syl. Italicum lib. 15. à vers. 102. ubi:

Ardua saxoso perducit semita clivo, Aspera principio, &c.

Sic fictæ Herculi binæ viæ, virtutis scilicet & voluptatis: huius igitur itinere plano desinebat in dolorem & infamiam; illius autem per antractus in fame templum, & immortalæ gloriam. Meta illius in Avernum, huius in campos Elysios. Patet dolor in ipis voluptatibus. Gaudium & dolor simul invasit mentem: Homer. 19. Odyss. v. 471. & Plautus in Cistellar. Act. 1. scen. 1. à vers. 67.

Unde tibi cordolium? Si quod est quod doleat, dolet; Si autem non est, tamen hoc hic dolet.

Amare amarum est? Amor & melle & felle est secundissimus. Gustu dat dulce, amarum ad satietatem.

De quo Tautolog. 11. fust. Unde illud, nescio cuius: Malum in bono. Amari iucundum est; si curetur, ne quid insit amari. Et Euripides in Hyppolit. v. 347. Suavisissimum quidem idem, simulque gravissimum. Econtrâ verò in tribulationibus.

Est quedam flere voluptas. Materiamque tuis tristem virtutibus imple. Ardua per præceptis gloria vadit iter. Hæc tiora, quis nosset, felix si Troia fuisset? Publica virtutis per mala facta via est. Ars tua Tipby iacet, si non sit in æquore fluctus; Si valeant homines, ars tua Phæbe iacet. Que latet, in que bonis cessat non cognita rebus. Apparet virtus, arguiturque malis.

Accidit Ovid. lib. 4. Trist. Eleg. 3. à vers. 73. Felices se arbitrantur, quibus nihil accidit infelix, quasi qui in laboribus hominum non sint; sed in infernum deiciuntur, dum allevantur. Audiant Senecam ubi dudum, Eos autem quibus videtur indulgere Deus, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, si quem iudicatis exceptum: veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet. Quoquid illis incidit novum veniet. Magis urgent se via expertos. Grave est teneræ cervicis iugum. Innuat Iudith. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis sue contra Dominum protulerunt; exterminati sunt ab exterminatore. Deus damnandos, uti immedicabiles, atque desperatos transit; sed ægros in salutem percutit. Ovid. 1. de Remed. vers. 231.

Ut corpus redimas, ferrum patiaris & ignes; Arida nec sitiens ora lavabis aqua. Ut valeas animo, quicquam tolerare negabit; At pretium pars hæc corpore matius habet.

Percutimur ut sanemur. Hinc quod videtur ex percussione merore, verè gaudium, quippe leve tribulationis momentum operatur gloriæ pondus. Expectatio future tristiæ (ait Chrylost. hic) præsentem minuit voluptatem: expectatio futura lætitiæ detrabit de

vehementia prioris animi ægritudinis: adeo ut contingat nunquam, illic latari; hic autem, nunquam tristitia affici. Consule plura, si placet, apud Stobæum serm. 80. & 83. & Anton. in Meliss. serm. 9.

26 Modò in propositione Pleonasmii literale. Frequens usus in Script. ut toties diximus, & sæpe in occurrence dicemus, rem exprimi in certitudinem affirmatione & negatione positivi suppositi, vel econtrâ. Græcismus patet ex AA. Homer. 2. Iliad. v. 307. Non tantò sed multò minus. 21. Iliad. vers. 36. Arreptum & non volentem. 24. Iliad. vers. 131. Non enim diu vives, sed adest mors. Euripid. in Hecub. v. 230. & 253. Plenum gemitum, neclachrymarum inane: Nihil bene, sed male. Sophocl. in Oedip. Tyrann. v. 1190. Sæpe, non semel. Q. Calaber. lib. 1. Alitibus mortui epulum, non sepulti. Imitati sunt Hellenismus Latini. Plaut. in Pænul. Act. 5. scen. 4. vers. 49. Amicus nobis, què quidem non inimicus est. Virgil. 4. Aneid. vers. 12. Credo, nec vana fides. & lib. 9. vers. 508.

Qua rara est acies, interlucetque corona; Non tam spissa visus.

Martialis lib. 4. Epigram. 14. Non torvâ frontè, sed remissâ. Seneca Epist. 50. Non est extrinsecus malum nostrum: intra nos est: in visceribus ipsis sedet. Hinc Ientus Tautolog. Q. d. Disciplina, cti per illam cognoscatur erga vexatos amor Dei, in præsentem non solum non videtur esse gaudij, sed meroris, & tumui.

27 Etiam exponi potest regula frequenti in Sacr. pagin. ubi aliquando Non & Sed, aliæque particule exceptivæ, non exceptionem tam signant, quam comparisonem: igitur Hebræi comparativis carentes, vocibus exclusivis utuntur, & quod minus est, quasi non esset, designant. Misericordiam volui & non sacrificium. Osee. 6. 6. ly Non pro Plusquam, vel Supra. Q. d. Plusquam, vel supra, vel magis quam sacrificium, placet misericordia: ideo additur, & scientiam Dei, plusquam holocausta. Idem Marth. 9. 13. & 12. 7. Non veni vocare (tam) iustos, sed (quam) peccatores. Psalm. 50. 18. Holocaustis non delectaberis. Non quia Deus victimis non delectetur, sed quia magis placet spiritus contribulatus. Cor contritum & humillatum nunquam despexit; & aliquid dicit: Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? Plenus sum. Iai. 1. 11. Item dicit Paulus 1. Cor. 15. 10. Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Si Mecum dicit, quomodo Non ego? Quia ille laboravit, & multa perfecit; sed cum illo, & plusquam ille, gratia Dei. Claret. 1. Reg. 15. 22. ubi: Melior est obedientia, quam victima. Quod positive ponitur apud Caietanum & Maluend. Hebr. tam hic, quam Eccl. 4. 17. signat respectivè: Ecce (ait) audire præ sacrificio bonum: & præ adipe arietum ansulcare. Sic igitur lucem accipiunt plura Scripturæ testimonia. Malach. 1. 2. & 3. Dilexi Iacob: Esau autem odio habuit. Id est, minus dilexi. 1. Cor. 3. 7. Neque qui plantat, est aliquid: neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. Hoc est, respectivè ad Deum nihil facit. Ita Rom. 9. 10. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, à quo solummodo gratia, quæ datur ad egregia opera, & cum qua operatur homo: qui quidem, & si liberum habeat arbitrium, sine quo nihil, pendet non solum ad perficere à Deo, sed etiam ad velle: unde non currentis, neque volentis, sed Dei miserentis est; quippe si utpotè talis, dedit gratiam ad volitum, dabit etiam ad opus perficiendum. Iuxta huiusmodi regulam exponenda Tautologia. Omnis disciplina in præsentem quidem videtur non esse gaudij, sed meroris; id est, plus meroris, quam gaudij habet: ita ut cum corpus, aut animus cruciatur, licet percipiat aliquatenus gaudium, & gaudium verè sit (siquidem ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habitus sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati) præ merore & dolore non reputatur ut gaudium. Dictio exclusiva, non absolute sumenda, sed respectivè, & comparatione ad merorem. Homer. 1. Iliad. vers. 117. Volo populum salvum esse, sed non perire. Spondanus vertit: Volo potius salvum esse, quam perire. Et Helena apud Euripid. vers. 661. Mea lachrymæ lætitiæ propter, plus habent gratiæ, quam tristitiæ. Videtur iam quò tendat tentatio Dei.

28 Verum quia de demonibus actum; difficilem quæstionem, cuius conclusionem promissimus Tom. 1. Tautolog. 5. numer. 19. de cognitione Ethnicorum circa existentiam Angelorum; dissolvam. Quare Conclusio est: Eos errasse circa cognitionem, sed cognovisse sine dubio ipsam naturam mediam inter Deum & homines. Terminis scholasticis: Ignorasse Angelos quoad quid; ceterum cognovisse quoad an: attema corruptivè notitiam tam quoad essentiam, quam quoad existentiam. Priusquam in arenam

Affirmatio & negatio rei cetera signat.

Virgil.

Martial. Senec.

Non pro Plusquam vel Supra.

Hebræi

Sed aliquid non est exclusiva.

Homer. Eurip.

An Ethnici Angelos cognoverint.

Augustina.

Ethnici sapientes fuerunt sacrorum.

Tertull.

Discretio in electione sapientia Profana.

Ierem.

Indic. 14. 9.

1. Reg. 14. 43.

Indic. 15. 19.

1. Cor. 1. 20.

Pelafot.

1. Reg. 5. 3.

& 6. 21.

Aliud est notitia fidei, et aliud per fidem.

Augustin.

Apulei.

Sherlog. Ethnica dogmata sacra e pagina corrupte desumpta.

nam descendamus, supponendum est, Priscos Philosophos fures & latrones fuisse sacrorum. Fuerunt ergo quidam philosophi (inquit Augustin. Tract. 45. in Ioann.) de virtutibus & vitij subtilia multa tractantes, diuidentes, desinentes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes; qui etiam dicere audebant hominibus: Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beatè vivere, sed non intrabant per ostium: perdere volebant, mactare & occidere. Unde cum inter fures sint vilia & pretiosa; villa propria, pretiosa aliena; ubicunque ablata inventa fuerint, potest dominus asumere; sed non quæ furum philosophorum, quippe cuncta horum supellex error & error. Habebant Scripturam sacram, sed tabulis fractis. Quapropter Tertullian. in Apolog. cap. 47. inquit: Hoc mihi proficit Antiquitas perfracta divina literatura, quo facile credatur thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientia: quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur Philosophi stium ingenij sui rigaverunt, ut qua de nostris habent, ea nos comparent illis (Vide Zephirum hic) Si quid in sanctis Scripturis offenderunt digestis, pro instituto curiositatis ad propria opera verterunt; neque satis credentes divina esse, quominus interpolarent; neque satis intelligentes, ut adhuc tunc subnubila, etiam ipsi Iudæis obumbrata, quorum propria videbantur. Nam & si qua erat simplicitas veritatis, eò magis scrupulositas humana, fidem aspernata mutabat; per quod incertum miscuerunt etiam quod invenerant certum. Inventum enim solummodo Deum, non ut invenerant, disputarunt. Suffragatur Claudian. Mamertus Episc. Viennens. de Stat. anim. lib. 1. cap. 8. ex Hieronym. Epist. ad Magnum, & ex alijs. Ab his igitur Ethnicis conspurcata margarita, quæ quidem cognita à dominis, dicentibus vanæ philosophiæ & toti Gentilitati: Redde quod debes: siquidem Ethnicorum omnis violenta prædatio cum tumulosa arrogantia, typho turgido superbia, & spiritu erroris: quapropter vestimentum eorum, per sacrificia superstitiosa mistum sanguine, à catholicis abdicatur in combustionem, ut cibus ignis, Perperam agent, qui sibi servant Gentilitatis hostes aurum idolorum, quo crimine mors illata pro victoria: de quo 2. Machab. 12. 1. vers. 40. Hoc est sine discrimine rapere, quia Ethnici fures, propria & aliena: separandum pretiosiora à villi, aslundendum è possessioribus non solum malæ fidei, sed dubiæ: gustandum enim vel etiam de ore leonibus, & si occurrerit, tantum in summitate virgæ, quæ quidem teli cuspis (si oportuerit) in dulcedinem erroris. Miraculum sanè, aquam haurire de maxilla asini, ut fulta fiat huius mundi sapientia, & tempora Sitaræ perforantur clavo Sanctuarij. Vide dicta 1. Tom. Tautolog. 6. num. 4. In hortum Ægyptiacæ Sponsæ tantum descendere catholicos, ut lilia colligat, & nil amplius. Ex secularis sapientia externa eruditione (inquit Isidor. Pelusiac. lib. 2. Epist. 3.) tantum nobis instar apicula colligendum, quantum ad nostram philosophiam conducit: reliquum valere iubendum. Cadat ergo Dagon coram Atreca, quæ populo sancto ut captiva restituenda: verum non trahendum simul idolum, quoniam tunc erit fidelibus in scandalum.

29. Etiam notandum, in notitia fidei, posse inveniri notitiam per fidem, & posse etiam per fidelem. Notitia fidei per fidem fiat, dum creditur, quod à Deo revelatur: notitia per fidelem, dum promittitur, ut credatur: tunc enim notitia fidei & per fidelem invenitur in infideli; sed non per fidem: igitur infidelis audit, scit fidei notitiam, quasi quid speculative cognovit; verum audit ac cognito non præbet assensum: vel accipit notitiam præter placet, nequaquam præter revelatur. Quare ut vidimus ex Tertull. Inventum Deum, non ut invenerant, disputarunt. Ita ergo Paganus apud Augustin. Epist. 21. Vos, ait, Angelos dicitis. Unde patet, Ethnicum notitiam fidei & per fidelem habuisse de existentia Angelorum, sed non per fidem: igitur retraxit assensum, non exprimens certitudinem. Innuit liquidò Apuleius de Deo Socratis, de cognitione genitorum, vel demonum apud priscos philosophos agens. Super sedeo (inquit) in præsentiarum in his rebus orationem occupare: quæ si non apud omnes certam fidem, at certe penes cunctos notitiam promiscuam possident. Unde promiscua notitia de Angelorum existentia? An fide humanâ, vel proletraria traditione, ut 12. Metaph. cap. 8. autumavit Aristoteles? Minimè. Acceperunt Ethnici notitiam à fidelibus, sed non fidem. Unde Sherlog. Antiq. Hebraic. lib. 1. Dissert. 4. sect. 2. num. 15. ex plurimis Doctoribus Antiquitatis scrutatoribus, astringit: Angelorum notitiam habuisse Gentilium sapientes, quamquam non ingenij sui viribus, sed quod vel in sacras inciderint literas, vel ex familiaritate cum Iudæorum Theologis. Ex his ergo elegerunt quæ consona dogmati, & dissona revelate, dictæ, aut audite veritati: qua de causa Maiolus Tom. 2. Colloq. 7. de Platone dicit: Quæ ab He-

Hebræis didicerat, ad suum ingenium detorsit. Probat latè Clemens Alex. lib. 5. Stromat. cap. 6. & de asclis. Augustin. 7. Confes. cap. 8. dicens de libris Platoniorum: Ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis, & multiplicibus susaderi rationibus: quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum &c. Et de Civ. 10. cap. 29. iterat. Vide Ludov. Vives ibid. ex Gennadio: alia num. 76. cum de corruptione notitiæ sacrorum agam.

30. Ethnicos ita se gessisse probat multifariam Tertull. ubi supr. Noverant Athenienses (inquit Sanctius in 17. Act. Apost. num. 9.) vel ex Sibilorum oraculis, vel ex Philosophis, qui sacros libros absque dubio legerunt (legerunt autem illos Plato, atque Pythagoras, & ante eorum tempora complures alij, quando in suas fabulas multa ex Scriptura verisimili historij incluserunt) &c. Ægyptiorum divina mysteria (ait Maiolus quò dudum) didicit Plato & Mosaisca præcepta. Fatetur Cyrill. lib. 10. in Italian. Aristotelem ab Hebræis plura furatum, horumque doctrinam & sapientiam demiratum, claret, ex eo quòd ille apud Clearchum (de quo Cunaus de Rep. Hebr. lib. 1. cap. 4.) dicit: Venisse ad se, cum in Asia esset, Iudæum quendam tantâ eruditione, atque scientiâ hominem, uti præ illo omnes Græci qui aderant, trunci esse & stipes viderentur. Hinc cogitarunt Theodoret. lib. 1. Græc. fab. & Clemens Alex. lib. 1. Strom. cap. 5. hunc habuisse præceptorem, ex quo hausisse plura sacra paginæ consona. Ita enim vel olim accepit, ut Clemens præf. lib. 5. cap. 6. affirmet, Aristobulum (quem signat Scriptura magistru Ptolomæi 2. Mach. 1. 10.) multis in locis docere Philoſophiam Peripateticam ex lege Mosaisca & alijs dependisse Prophetis. Idem refert Eusebius (quem videlicet apud Vives in 8. Augustin. de Civ. Dei cap. 11.) igitur non solum Aristobulus de Peripatetica, sed de alijs scholis loquitur lib. 1. Legem nostram (inquit) in multis Plato secutus est: aperte namque in multis diligenter examinasse videtur. Mosaisca enim volumina ante Alexandrum & ante Persarum imperium traducta fuerunt, unde plurima, sicut & Pythagoras philosophus ille accepit. Astruit etiam Diodor. Sicul. 2. Biblioth. cap. 6. Quapropter Kircher. in Obelisk. Pamphil. lib. 2. cap. 7. ex Clement. Alex. loc. cit. inquit: Ægyptios (è quibus hauserunt dogmata Græci) fuisse sumias Hebræorum, cum omnia eorum symbola nihil aliud, quam excellentiam Dei, naturam Angelorum, totius denique mundi & universi naturam referre videantur. Vide arcaniora mysteria revelata & tradita ab Adamo & posteris apud Sherlog. 1. Antiq. Hebr. Dissert. 4. sect. 17. & 18.

31. Hinc laudabile indicabitur, non exponere testimonia Ethnicorum, præter farent vel foverit illorum errores, sed præter rapta à fonte sacro, cui restituenda, ut ferviant veritati, sicque clareant Græcorum furta, ut ait Clemens ubi supr. Verum vero consonum. Quicquid enim verum (ait Ambros. in 1. Cor. 12.) à quocunque dicitur, à Spiritu Sancto dicitur. Quare PP. invenientes in Ethnicis aliquid fidei consonum, ut proprium sibi arrogat; sed non à fide alienum, estò latro sit, que habeat. Scripta enim illorum neque in omnibus legi Dei contraria sunt, neque in omnibus consona: ita Orig. Homil. 13. in Genes. cap. 26. Si quidem (subdit Kircher. quò dudum cap. 8.) cum primi illi Ægyptiorum Patres insigni rerum divinarum instructi, considerarent, magnam cum fidei nostræ mysterijs (characteres mysticos) affinitatem habere; eos in usum quoque sacris suis studijs, quibus unice incumbebant, congruum converterunt. Monuit Damascen. 4. de Fid. Orthod. cap. 18. Sumamus sermones optimos; Deos autem ridiculos, & fabulas alienas canibus projiciamus: nam plurimam ex ipsis contra se ipsos fortitudinem habere valebimus. Sicine proprio gladio ingulatur Goliath: & quòd gladij adinstar videtur in furioso Ethnico, efformatur in vomerem, vel constatur in falcem. Quid Catholicis, si fecerunt etiam Ethnici? Postquam Aristoteles plura astruit de Dijs uti fabulosa, tradita à Maioribus pro plausu populi 12. Metaph. cap. 8. subdit: Si quis hoc solum separet, & accipiat, scilicet Deos esse primas substantias, divinè dictum putabit. Quo igitur intuitu Catholicus inter duo testimonia Ethnici contrariæ mentis, suam dirigit in erroris scutum, non ex illo fumere verum debeat, uti proprium? Cur expolitio & amplificatio erit erroris, & neutiquam veritatis? Maximus Tyrius, ter maximus (sed in amentia) affirmat (si affirmat) Dæmonem nil aliud esse nisi animam separatam: item affirmat, esse ductorem animarum, potentiamque divinam, cuius natura præstantior humanâ, & inferior dividâ. Unde constabit ter maximi mens? Cur erroris standum Ethnici, & non veritati furto sepultæ? Quis ter maximum dicit æfferentem philoſophum pexâ barbâ, & torvo supercilio, ac collo erecto, Animum continere

Augustina.

Plato & alij legerunt sacra volumina. Sanct. Maiol.

Arist. Aristoteles demiratur doctrinâ Hebræorum. Clem. Alex.

Aristot.

Kircher.

Non foverit errores Ethnicorum. Ambros.

Origena.

Kircher.

Damasc.

Aristotel.

Stratior Ethnicus, dum vult apparere doctior.

nece